PROBLEMA EXEGETICO-I
DE
FOEMINA V
CIRCVMDA
Das Weib wird den M
Jer. XXXI, 22

QVOD

RECTORE MAGNIFICE
SERENISSIMO PRINCIPE

DN. GVILIELMO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE,
ET GVESTPHALIAE, COMIT
WITGENSTEINII, &

PRAESIDE

M. JOAN. LEO
RECKENBER

BENEVOLO AMPLISSIMI ORDIN
INDVLTV,

PVBLICO EXPONIT

AVCTOR

CHRISTOPH. ANDR

NORIMB. SACR. LITER.

DIE IVNI

IENAE,

EX OFFICINA MVLLERIANA,

TICO-PHILOLOGICVM
DE
A VIRVM
IDANTE,
en Mann umgeben,
XXI, 22.
VOD
NIFICENTISSIMO,
INCIPE AC DOMINO
MOHENRICO,
CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
, COMITE SAYNAE AC
EINII, &c. &c.
ESIDE
EONHARDO
BERGERO,
ORDINIS PHILOSOPHICI
VLTV,
ONIT EXAMINI
TOR
NDREAS HEDER,
LITER. CVLTOR.
IVNII

I A E,
RIANA, M DCC XXXII.

VIRIS

GENEROSA PROSAPIA ILLVSTRIBVS AC PRVDENTISSIMIS

DOMINIS DOMINIS

DN. CHRISTOPHORO SCHEVRL, DE DEFERSDORF,

SERENISSIMI PRINCIPIS SCHWARZBVRGENSIS NEC NON PERILLVSTRIS AC S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS CONSILIARIO,
IMMORTALIBVS IN PATRIAM MERITIS PERQVAM INSIGNI,
FAMILIAE MAIORVM GLORIA EXSPLENDESCENTIS SENIORI GRAVISSIMO &c. &c.

DN. IAC. CHRISTOPH. STROMERO à REICHENBACH

S. R. I. LIBERAE ET PERILLVSTRIS REIPVBL. NORIMB. SENATORI CONSVLARI, RERVM PROVINCIALIVM ET ORPHANOTROPHII PRAEFECTO &c. &c.

DN. CHRISTOPHORO THEOPHILO SCHEVRL, DE DEFERSDORF

DICASTERII REIPVBL. ASSESSORI SPECTATISSIMO,

DN. IOANNI CAROLO SCHEVRL, DE DEFERSDORF

IN ERLASTEGEN PVBLICIS EX RE ANNONARIA REDITIBVS VECTIGALIBVSQVE PRAEFECTO VIGILANTISSIMO,

DOMINIS AC MOECENATIBVS SVIS GRATIOSISSIMIS

OMNI OBSEQVIO ANIMIQVE SVBMISSIONE AETERNVM DEVENERANDIS
HOC QVALECVNQVE SPECIMEN
EA, QVA PAR EST, ANIMI HVMILITATE
d. d.

AVCTOR.

בשש

QVanquam permulti infensissimi diuinitatis & humanitatis IESV CHRISTI deprehendantur hostes, qui memoriam eius plane velint exstirpatam: conf. in compendio AVGVSTANAE CONFESS. *artic. I.* & FRIDEM. BECHMANNI in LEONH. HVTTERI *comp. theol. loc. III. quæst.* 4. §. 2. vbi, seruato temporum ordine, illos recenset, qui diuinam saluatoris nostri naturam impugnarunt; deinceps eadem ratione §. 3. 4. 5. ad illos progreditur, qui eius humanam in dubium vocarunt, subiecta vtriusque ex scripturis probatione ac errorum obstantium refutatione, *quæst. 5. & 6.* Consuli quoque possunt ii, qui vel theologiæ theticæ, vel polemicæ compendia aut systemata in lucem ediderunt. Attamen non pauci sunt, christianum conficientes cœtum, qui gratias DEO persol-

 vunt

vunt maximas, quod nobis in ſacris ſcripturis vtramque quærendi pariter ac inueniendi dederit facultatem. Id quod etiam tunc temporis eccleſia primæva cognouit, & ſpecimine in publicum edito comprobauit, quum certum inſtitueret anni tempus, quo maximum & ineffabile a natiuitate optimi SALVATORIS in totum genus humanum profectum beneficium in memoriam reuocare poſſimus & debeamus.*

* *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores origenem* FESTI NATIVITATIS *Chriſti ad ſeculum IV. referunt.* Conf. IOACHIMI HILDEBRANDI *tract. de diebus feſtis veterum chriſtianorum, &c.*

§. II. Quum vero feliciſſimum illud tempus nobis illuxerit chriſtianis, vt myſterium illud profundiſſimum de CHRISTO etiam in veteri fœdere altius cogitemus, curatiusque perpendamus, poſtulat pietas. DEVS enim ter Optimus Maximus & in prædictionibus prophetarum, harumque impletionibus in noua oeconomia nobis illud reuelauit, & conſequenter *duplicem*, ex quo ἐνσάρκωσις IESV CHRISTI ſalutifera, ad nos de illa convincendos, hauriri poteſt, ſuppeditavit fontem.

§. III. Non ſolum autem, vt textui ſacro, & præſertim illis, de hoc myſterio agentibus, perlegendis, euoluendisque dictis, inhæreamus, ſufficit; verum etiam tamdiu hoc vel illud animo nos oportet perpendere, donec de vero & genuino a SPIRITV SANCTO intento ſenſu ſimus conuicti. Vbi, tali inſtituta perſcrutatione & pia meditatione, prædictiones multas altioris eſſe indaginis, quæ impediunt, quo minus ſtatim primo intuitu ſenſus genuinus noſtris ſe ſiſtat oculis, quæ tamen difficultas, non DEO Optimo,

mo, ſed imbecillitati intellectus noſtri cetera. conf. IO. IAC. RAMBACHII *Inſtitut. herm. ſacr. l. I. c. II. §. XIII. & XIV.* plane adſcribenda eſt; multisque dictis ſenſum ab intentione SPIRITVS SANCTI longe alienum, neglectis, aut non ea, qua par eſt, ratione adhibitis hermeneuticæ ſacræ mediis, eſſe illatum, facile erit cognitu.

§. IV. His itaque præmiſſis, haud abs re erit, ſi ſenſui cuiusdam dicti rectius inueſtigando admoveamus manum. Inter alia autem, vt nobis videtur, dictum, quod IEREMIAS in prædictionibus ſuis habet *cap. XXXI, 22.* claſſi ſecundæ, in paragrapho præcedente a nobis prolatæ, eſſe adnumerandum.

כי־ברא יהוה חרשה בארץ נקבה תסובב גבר׃

Nam DEVS creabit nouum in terra: Fœmina circumdabit virum.

§. V. Quæ quum ita ſint, accingamus nos ad dictum hoc reſoluendum, eiusque ſenſum eruendum, haud obliti illius veriſſimæ theſeos: SALVATOREM noſtrum ex immaculata virgine MARIA ſecundum datas Iudæis promiſſiones, quoad humanam naturam oriundum, in veteri teſtamento haud fuiſſe incognitum.

§. VI. Quam inuictiſſimam veritatem Sacro Sancta TRINITAS ad erigendos conſolandosque per peccatum in profundiſſimas illapſos miſerias protoplaſtos in prot-Euangelio *Gen. III, 15.* illis reuelando patefecit. Quæ verba ita ſe habentia הוא ישופך ראש *illum*, ſcil. Meſſiam, qui ſemen mulieris vocatur, ſer-

ſerpentis caput contriturum, ſolatium noſtris præbuere parentibus firmiſſimum. Quibus in verbis per ſemen mulieris nemo, niſi Meſſias Θεάνθρωπος eſt intelligendus, qui tum quoad natiuitatem ſuam, tum quoad opera ſua, plane diuina, illis in verbis exhibetur repræſentatus atque prædictus. Id quod, vt veriſſimum, etiam prædictio *Eſ. VII, 14.* comprobat, in qua de incarnatione filii DEI in virgine illibata facienda pro illorum temporum conditione multum fuit prædictum. Cui nos veritati ſubſcribimus, atque, vt ex antecedentibus poteſt perſpici, ipſam confitemur.

§. VII. Prout autem multa alia bibliorum ſacrorum loca hanc nos, præter antea a nobis allata, edocent veritatem: ita tamen hoc, vel illud dictum a quibusdam, ad maiorem probandæ huius propoſitionis vim, præpoſtere adductum fuiſſe, nemo non, in his verſatus ſtudiis, compertum habet. Exemplo nobis eſſe poſſunt dicta ſequentia: *Geneſ. IV, 1.* vbi Euam dixiſſe legimus: קניתי איש את־יהוה quæ verba in verſione LVTHERI ſic ſe habent: **Ich habe den Mann den HErrn.** Quibus nonnulli hanc prædictam veritatem, quod nempe Meſſias ex virgine ſit progignendus, ſtabilire voluerunt, &, Euam filium ſuum primogenitum, ſc. Kainum parturientem, in hæc verba erupiſſe, & ex imbecillitate illum MESSIAM ſeu promiſſum mulieris ſemen credidiſſe, aſſeruerunt. Quas ſententias circa hunc locum inter doctos ventilatas SEBAST. SCHMIDIVS *in Faſc. diſſertationum diſſert. II. fuſius recenſuit.*

§. VIII. Nec deſunt, qui loco huic præfato

illum

illum ſubiungunt, quem in prouerbiis SALOMONIS *cap. XXX, 19.* deprehendimus, eoque veritatem confirmari arbitrantur. Verum enim vero illo, curatiore exegetico examini ſubiecto, tantum non omnibus, fruſtra hunc ad illam ſtabiliendam allegatum, erit notum. Quod etiam *ſumme venerandus* IO. ANDREAS DANZIVS *in diſſert.* ſub eius præſidio habita *in locum Eſa. VII, 14.* inſcripta: *Partus virginis miraculoſus*, annotauit, & aliam ſententiam de illo cum orbe literato communicauit. Quæ vti ad exegeſin ſaniorem propius accedit: ita nos eo facilius mouere potuit, vt, miſſis omnibus aliis hunc minus commode explicantibus cum illo in ea conſpiremus.

§. IX. Non autem his duobus ſolum adductis exempli loco teſtimoniis vim atque iniuriam fuiſſe a quibusdam illatam nouimus, verum etiam noſtrum, de quo ſumus verba facturi, dictum, pari paſſu cum his ambulare videtur. Id quod quidem vt pietatis quidquam ſapiat: ita tamen veritati non fuiſſe conſultum opinamur. Inquiramus igitur in illud, tentaturi viſurique, qualem regulis exegeticis, ut par eſt, adplicatis, ſenſum eruere valeamus. Sed abſit a nobis, quod ſerio monemus, vt hoc ipſo illas veritates, quæ alias ex hoc loco probari ſolent, aut in dubium vocemus, aut illos, qui nobis doctiores, melius forte alium huius dicti ſenſum demonſtrare norunt, deſpiciamus, quin potius ſummo nobis honori ducemus, ſi meliora edocti, alium inducere animum poſſumus. Quare omni reuerentia hæc qualiacunque noſtra ſcholia doctisſimorum virorum oculis ſubiicimus,

certa

certa ſpe freti, fore, vt æquum de iis, vt ex animo ſincero & veritatis amantisſimo profectis, ferant iudicium. Et hanc mentem noſtram Magnifico Doctisſimoque Domino Cenſori ingenue expoſuimus, qui, quamuis neutiquam idem nobiscum hoc de loco ſtatuat, tamen de eo disquiri poſſe, beneuole cenſuit. DEVS autem adſpiret noſtris qualibuscunque conatibus, concedatque, vt omnia in veritatem verbi ſui ſtabiliendam, nominisque ſui gloriam cedant. Quo CHRISTVM, ſalutis noſtræ fundamentum, quod in omnibus S. S. paginis nobis fuit repræſentatum, & cuius cauſſa omnia ſcripta ſunt, vbi eſt quæramus & inueniamus, neutiquam vero in locis, de illo præciſe non agentibus, illum deprehenſum falſo nobis perſuadeamus.

§. X. Nobiſcum conſtituimus, DEO auxiliante, dictum *Ierem. XXXI, 22.* cuius verba originalia in paragrapho IV. adpoſuimus, explicaturi, verumque eius ſenſum eruturi, aggredi. Non eſt igitur, quod diutius moremur, ſed ratio inſtituti noſtri poſtulat, vt illud eo, quo par eſt, ſtudio, perſcrutemur. Quo vero ordine procedamus, ipſa rei natura dictitat, ita nempe, vt *primo* contextum, *deinde* genuinas vocum ſignificationes, examinatis quorundam interpretum ſententiis, & *tandem* totius vaticinii complementum conſideremus.

§. XI. *Contextus* igitur, ordinis cauſſa, ante omnia nobis attendendus eſt, vt ex eo deinceps eo melius de diuerſis interpretum ſententiis ferre posſimus iudicium. Hæc antecedentium cum conſequentibus collatio in noſtro præſenti loco eo procedet

cedet melius, quo diligentius ſingula ponderauerimus. Imprimis autem illa, *duplici* & *necesſitatis* & *vtilitatis* ratione ſe nobis inſinuat. Quod ad *priorem*, ſcilicet ad *necesſſitatis* rationem attinet, Deum, pro ſua ineffabili benignitate, nos, propter transgreſſionem præcepti ſui damnationem æternam promeritos, mentem ſuam, de æterna ſalute noſtra per CHRISTVM recuperanda, edocturum per ſcripturam fuiſſe, nos non præterit. Qui vero obtineret finem, mediis, ſeu ſignis, quibus ideas ſuas exprimeret, ſibi opus fuiſſe pro ſua ſapientia cognouit ac vt optimum elegit. Hinc verba tanquam rerum receptacula adhibuit, iisque nobis hominibus miſeris aliam, quam ignorauerat ratio, perueniendi ad ſalutem viam, indicauit. Verborum vero, vti per ſe & ſimpliciter poſitorum, determinari ſignificatus nequeunt, ſed valorem ſuum tunc demum conſequuntur, quando integræ propoſitiones ex illis, ex his vero periodi conſtituuntur: ita DEVS in contextu vnicuique voci determinationem ſui, quid ſignificet, & qualem relationem ad ſubiectum & prædicatum propoſitionis principalis habeat, indidit, vt eo melius homines mentem ſuam intelligere, & regni coeleſtis fieri poſſent participes.

§. XII. Rebus ſic ſe habentibus, nemo non antecedentium cum conſequentibus conferendi neceſſitatem facile intelliget. Illa enim neglecta, ſcopus minime verus, ſed potius ſpurius atque peruerſus inueſtigabitur. Quæ peruerſa inueſtigatio deinde vna cum multis aliis in cauſſa eſt, quod homines de voluntate diuina ſibi claros atque di-

ſtinctos menti numinis ſanctisſimi correſpondentes formare conceptus, & conſequenter concipere, quid in hoc vel alio lateat dicto, nequeant. Quod deinde, quo minus DEVS finem ſuum ſaluberrimum obtinere posſit, impedimento eſt maximo. Quid multa? ipſe Optimus SALVATOR noſter eam, quum inter homines degeret, bene cognouit. Hinc hoc præcepto *Ioan. V, 39.* ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς *ſcrutamini ſcripturas* nihil aliud dicere voluit, quam hoc: *Inſtituite comparationem & eorum, quæ iam olim dicta, & eorum, quæ nunc proferuntur: videte, qualem inter ſe habeant reſpectum, quo eo melius intentionem Dei capere, & me, vbi ſum, inuenire valeatis.*

§. XIII. Prægnans autem etiamſi, vt ad contextum ſtrictisſime attendamus, adſit ratio, *vtilitas* tamen, quæ exinde nobis accreſcit, eo magis magisque, vt illum ſedulo obſeruemus, nobis ſeſe commendat. *Connexio* enim vti vel *verbalis* vel *realis*: ita duplici modo, vt & verbis & rebus, verbis inuolutis, ſatisfacere posſimus, nobis annitendum eſt. *Vid.* RAMBACHII *inſtit. herm. ſacr. l. II. c. V. §. 4.* ***. Verba enim per paragraphum præcedentem demonſtratum pondus ſuum in integra propoſitione a contextu adipiſci & conſequenter intelligentiam ſcopi textus ab illo dependere nouimus. Quum vero ut dictum quoddam fugitiuo perluſtremus oculo ad ſenſum illius inueſtigandum minime ſufficiat, ſed circumſtantiæ, conditio populi, & reliqua rerum facies, omniaque verba, etiam minimæ particulæ, quam accuratisſime ſint ponderandæ, ne a ſcopo vero aberremus, & ſpurium pro genuino

nuino substituamus: ita vtilitas in eo sese exserit maxima, quod scilicet comparatione antecedentium cum consequentibus instituta, certi simus, quod hic & non alius in hoc vel alio dicto sensus locum habeat. Et hæc collatio, nostro quoque dicto, quod publico exposuimus examini, magno esse potest vsui.

§. XIV. In paragrapho enim decimo tertio duplicem haud sine fundamento *connexionem*, scilicet *verbalem* & *realem* statuimus, quæ ante omnia in dicto nostro, vt rite procedamus, etiam nobis adplicanda venit. *Verbalem* ergo indicat particula כִּי nam, *v. 21.* quæ cum inter illos, quos agnoscit, significatus etiam caussalem, vt formalem, comprehendat, ipso SAL. GLASSIO *in Philologia sacra libr. III. tractat. II. can. 15. num. 2.* & DANZIO *in Interprete* §. *141.* hoc testantibus: hac notione nos ad antecedentia manu quasi ducit. Quæ quum ita sint, reuertamur, & caussam, cur Propheta verba nostra vaticinio inseruerit suo, inquiramus, quibus *realis* connexio absoluitur.

§. XV. In prioribus enim commatibus, & quidem in illo, quod nostrum immediate præcedit locum, mentionem fecit IEREMIAS de reuersione ex captiuitate Babylonica, qua gens Israëlitica a DEO propter enormia peccata ac scelera, imprimis autem idololatriam, cuius committendæ erat studiosissima, merito fuit castigata, quando *versu 21.* populo iudaico, sub schemate virginis repræsentato, ita acclamauit: שׁוּבִי בְּתוּלַת יִשְׂרָאֵל שֻׁבִי אֶל עָרַיִךְ אֵלֶּה׃

: אלה vt ſeſe ad reuerſionem in ciuitates ſuas præpararet. Pergit deinceps his verbis: עד מתי וגו׳ *quousque ſubduces ſeu hinc inde vertes te*, h. e. quousque iugo collum ſubmittere, DEO id iubente, detrectas, ac in cliuum ſpecie aſſurgis? *Habb. II, 4. o filia, o auerſa*, mox horum, mox illorum implorando auxilium. De cuius verbi vſu conf. *Cant. V, 6.* vbi ſubiungitur: *quæſiui eum, ſed non inueni eum*, cetera. Ceterum non occurrit amplius. Quo vero melius hæc verba populi iudaici corda penetrarent, addidit rationem: כי ברא יהוה וגו׳ *nam Deus creabit* cetera. Id quod etiam propoſitiones in antecedentibus, quas ſumus expoſituri, adductæ pluribus euincent.

§. XVI. Vlterius enim nobis retrogradientibus multæ propoſitiones *in antecedentibus* ſunt obuiæ, quibus aſſertum noſtrum ſuffulcire poſſumus. Initium enim totius prædictionis huius, quod in *cap. XXX, 3.* eſt, argumentum probandæ theſeos noſtræ nobis ſuppeditat, ita nempe DEO ad Prophetam dicente: הנה וגו׳ *Ecce ventura ſunt tempora, quibus reducam captiuitatem populi mei Iſraelitici & Iudæ, ſiquidem efficiam, vt reuertantur illi in illam regionem, quam conceſſi illorum maioribus, ac poſſideant illam.* Illis porro calamitatum magnitudinem ob oculos ponit. *v. 5. 6. 7.* קול חרדה שמענו פחד ואין שלום וגו׳ *vocem tremoris audimus pauoris & nihil pacis eſt.* Sed ſtatim liberationis ex illis certitudinem his verbis וממנה יושע וגו׳ *ſed ex illis liberetur*, ſubiungit. Hanc ipſam *v. 8.* continuat: *Confringam*,

gam, inquiens, *iugum eius*, *ne sit in superficie colli tui*, *ac vincula tua disrumpam*, *ne seruiant sub illo denuo extraneis*. Hanc liberationem cum spirituali Messiæ coniungit v. 9. *Sed seruiant Iehouæ Deo suo*, & *Dauidi regi suo*, *quem suscitaturus sum illis*. Conf. *II. Sam. VII, 14. Ezech. XXXIV, 23. 24. Hos. III, 5.* Ex his infert ac animos illorum spe certissima reductionis erigit ' ואתה אל תירא וגו *Tu igitur ne timeas*, *serue mi Iaacob*, *edictum Iehouæ est*, & *ne consterneris Israel v. 10. 11.* ' כי הנני מושעך וגו *nam ego ecce saluaturus sum te e loco longinquo*, & *semen tuum e terra captiuitatis suæ*, *siquidem reuertatur Iaacob*, & *quiescat*, & *tranquillus sit*. Rationem subiungit *v. 11.* quia Iehouah illis assisteret, castigaret quidem illos, non vero, vt gentiles, consumeret. Huius castigationis rationem reddit: quia status illorum esset corruptissimus, *v. 12. 13.* hinc non posset non punire illos, *v. 14. 15.* nihilo minus & hostes illorum punirentur, *v. 16.* sed Iudæi sanarentur, *v. 17.* *Nam ex captiuitate reduces ciuitatem & templum restaurarent. v. 18. amplificarentur & non imminuerentur. v. 19. 20. 21. 22.* Tandem *v. 23.* & *24.* iterum verba facit de calamitate, sub schemate tempestatis grauissimæ repræsentata: הנה סערת יהוה חמה יצאה וגו' *Ecce*, *inquiens*, *procella Iehouæ cum furore egressa est*, *procella imminens*: *super caput impiorum manebit*. *Non reuertetur excandescentia Iehouæ vsque dum perfecerit*, & *vsque dum statuerit cogitationes cordis sui*, *in extremitate dierum magis magisque intelligetis illud*. Hac de metaphora vid. SAL. GLASSII *Philol. S. libr. V. tract. I. cap. X. pag. 1696.*

§. XVII. *Hoc ipſo tempore*, *quo* ſcil. *magis intelligetis illud c. XXXI, 1. dictum eſt Iehouæ, ero Deus omnibus familiis Iſraelis, ipſique erunt populus meus. Sic dicit Iehouah: Inuenit gratiam in deſerto, populus reſidui a gladio* הלוך להרגיעו ישראל *eundo ad quietum collocandum ſe Iſraël*, conſ. *c. XXX, 10.* nam de huiusmodi quiete verbum accipitur *Deut. XXVIII, 65. Ierem. L, 34.* cetera. Indicat deinceps fundamentum huius requiei, perpetuum nempe amorem ac benignitatem Dei, quo proſequutus eſt populum Iudaicum commate 3. Huius amoris effectus, finita captiuitate babylonica, innuit, *v. 4. 5.* vocem addit hortantium *v. 6. 7.* ac concludit: *dicite: libera Iehouah populum tuum, reliquias Iſraelis, quippe qui colligeret eos ex Babylonia & reliquis regionibus promiſcua multitudine v. 8.* Huius multitudinis conditionem deſcribit *v. 9. fletu aduenient, quamvis miſericordia adducam illos*, cetera. Deinceps ſe vertit ad gentes IEREMIAS, & annunciata liberatione populi Iſraelitici e potentia illarum, deſcribit ſerenitatem animi & gaudium, quod populus iam iam in ſtatum priſtinum reſtitutus præ ſe ſit laturus, quæ omnia commata *10. 11. 12. 13. 14.* nos edocent שמעו דבר יהוה גוים והגידו באיים *audite verbum Iehouæ, gentes &c.* Aſt, deſcripta hac felici conditione populi, ſubit prophetam antecedentis miſeriæ recordatio. כה אמר יהוה קול ברמה נשמע נהי בכי תמרורים רחל וגו' *Sic dicit Iehouah: Vox in Rama audita eſt, lamentum fletus* תמרורים *amaritudinum, Rahel frequenter & continuo curat fletum* §. 59. *Interpr. Danz.* & §. 75. *propter filios ſuos, renuens conſolationem propter filios*

ſuos

suos, quia non sunt, scil. in regione sua. Nam qualis fuit calamitas tale etiam est solatium; ast solatium est: *Reuertantur e terra hostili, v. 16.* ergo antecedens calamitas h. l. intelligenda est. Vel si mauis ex Rabbi DAVID KIMCHI *ad h. l.* sententia, suppleas vocem עם populus &c. vel: *non sunt amplius in Gibea Rama &c.* Ramah, quod alii reddunt: *in excelso*, sed reclamante Matthæo *cap. II, 18.* sita erat in monte Ephraim, sortis tribus Beniamin, prope Bethlehem, *Iud. IV, 5. Ioan. XVIII. 25.* in quo loco Rahel sepulta fuit. *Genes. XXXV, 16. 17. 18. 19. XLVIII, 7.* In hoc loco audita est vox, siue clamor, lamentum fletus תמרורים Hisce *Tamrurim* tribuitur *indignatio*, *Hos. XII, 15.* & hoc loco *fletus*, *luctus* acerbissimus, *Ier. VI, 26.* quæ prædicata quoddam subiectum intelligens arguunt, supplenda voce quadam per ellipsin omissa, §. 174. *synops. interpr.* DANZII, id quod MATTHAEVS confirmat, reddens: ὀδυρμὸς πολὺς *eiulatus multus* vel *magnus.* Rahel per προσωποποιΐαν flens sistitur, quamuis iam diu vita decesserit. *Genes. XXXV, 16.* Repræsentat ergo luctum totius populi Israelitici acerbissimum. Namque Rahel fuit mater Iosephi & Beniamini, *Genes. XXXV, 18.* quem cum peperisset, efflauit animam, eique hanc ob caussam nomen בן אוני filii doloris imposuit. A Iosepho descendebant Manasse & Ephraim, *Gen. XLVI, 19. 20.* a Beniamin Bela cet. *Genes. XLVI, 21.* Istæ quatuordecim animæ dicuntur filii Rahel, quorum vnusquisque genitus esset Iacobo. *v. 22.* Manasse & Ephraim, Iosephi filios, adoptauit Iaacob, & hunc quidem prætulit alteri, vt etiam hæreditatem inter fratres suos haberent, *Genes.*

XLVIII,

XLVIII, *5. 6. 19. 20.* quam quoque per sortem acceperunt. *Ios. XVI. & XVII.* Hinc decem tribus Israel dicuntur: Ephraim, *Ies. VII*, 2. distinguuntur enim a regno Iudæ, & Ephraim salutatur: DEI primogenitus, *Ierem. XXXI*, *9.* Clamoris ergo in Rama fit mentio, quia tanti doloris filius Raheli fuit Beniamin, vt post partum eius exspiraret, & tanta suis posteris immineret calamitas, quanta illos nunquam antea presserat. Renuit ergo consolationem super filiis suis, tam grauiter afflictis, quasi ex *Threnis Ieremiæ cap. II*, *22.* diceret: אשר טפחתי ורביתי איבי כלם *quos educaui & multiplicaui hostis meus consumpsit.* Hac de re R. DAVID KIMCHI *ad h. l.* breuiter ita scribit: אמר על דרך משל על עשרת השבטים שראשם אפרים וזכר האם לכלם והיא רחל כאילו בוכה על דרך משל על בניה: *loquitur more prouerbiali* (vel emphatico) *de decem tribubus, quarum caput fuit Ephraim,* (vel princeps, præcipua.) *Et mentionem facit matris omnium istarum, quæ fuit Rachel, secundum ista plorat more emphatico super filiis suis.* CHALDAEVS vero expresse domum Israelis vocat, & ad res gestas cum IEREMIA *c. XL*, *1.* respicit. Nec contradicit nobis MATTHAEVS *c. II*, *18.* hæc Prophetæ verba de infanticidio Bethlehemitico, vt impleta, proferens, siquidem *plenarium* huius vaticinii *complementum* ibi deprehendimus. Paucis SAL. GLASSIVS *in Philol. S. l. V. tract. I. cap. 9. Quæ*, inquiens, *prophetia ad infanticidii Herodis atrocitatem exprimendam, allegatur Matth. II, 18.* ob conuenien-

uenientiam *tum* facti tyrannici, *tum* ipsius loci. Hunc Rahelis planctum excipit firmissimum DEI solatium, *v. 16. 17.* כה אמר יהוה מנעי קולך מבכי ועיניך׳ *sic dicit Iehoua: Cobibe vocem tuam a fletu, vel ne fleas, & oculos tuos a lacrymis, ne scil. effundas, nam est pretium operæ tuæ, dictum est Iehouæ, siquidem reuertantur filii e terra hostili. Inde sit spes posteritati tuæ, dictum est Iehouæ, reuertantur nempe filii in terminum suum.* Nihilo minus querelarum Ephraimi mentionem iniicit *v. 18.* שמוע שמעתי אפרים מתנודד וגו׳ *audiendo audiui* i. e. euidentissime audiui §. interpr. 77. I. *Ephraim plangentem: Castigasti me, & castigatus sum, vt vitulus non assuefactus;* השבני ואשובה וגו׳ *fac me reuerti* §. 61. interpr. *tunc reuertar*, scil. ex captiuitate Babylonica. conf. *Thren. V, 21.* & ad LVTHERVM aliter verba transferentem attende. Et in *commate 19.* כי אחרי שובי נחמתי וגו׳ *postquam reductus fuero, erigar consolatione*, sc. cum reuisitauero terras meas. Quas preces tandem sequitur responsio diuina solatii plenissima. *v. 20.* הבן יקיר לי אפרים וגו׳ *Non ne filius preciosus mihi est Ephraim? &c. &c.* quod Deus illorum sit miserturus & reducturus illos ex captiuitate babylonica, innuens. Hinc acclamauit populo *v. 21.* הציבי לך ציונים שמי לך תמרורים *statueris tibi signa*, §. 52. *II. interpret.* ציון vnde in multitudinis numero est ציונים notat signum aut sepeliendi *Ezech. XXXIX, 15.* aut sepulti cadaueris, *II. Reg. XXIII, 17. posueris tibi amaritudines, vid. §. XVII. iam appone cor tuum ad viam tritam, viam, qua egressus es*, nequaquam tui obliuiscar, sed

tam

tam certo, quam certissime te reducam ex illa. Quid ergo opus est, vt tardes? præpara te ad reuersionem שובי בתולת ישראל וגו׳ *reuertere virgo Israel! &c. &c.* ratione addita: כי ברא יהוה *nam DEVS creabit.*

§. XVIII. Idem quoque nostri textus *consequentia* euincunt, quæ vt breuiter nunc consideremus superest. Ita vero DEVS benedictionem suam regioni Iudæ & ciuitatibus eius post reductionem ex captiuitate Babylonica annunciare iubet, *v. 23. Sic dicit Iehouah, DEVS exercituum, DEVS Israelis: Denuo dicent verbum hocce in terra Iudæ in ciuitatibus eius, postquam conuertero captiuitatem illorum: benedicat tibi* IEHOVAH, *habitaculum iustitiæ, mons sanctissime.* (Explanat deinceps hanc benedictionem *v. 24. 26. 27. 28.*) ac refrigerium post captiuitatem *v. 25.* inseruit. Transit denique ad nouum fœdus, quod DEVS cum illis pangeret *v. 31. 32. 33. 34.* ac quod nunquam fieret irritum *35. 36. - - fin.* testatur euidentissime.

§. XIX. Collatis igitur antecedentibus cum consequentibus facile vnusquisque, quod contextus, vti a TARNOVIO fuit institutus, minime intentioni Spiritus S. respondeat, intelliget. Quo vero hoc euidentius reddatur, paulo penitius inquiramus in eius contextum, & curatius examinemus. Hanc vero §. *20. Exercitationum biblicarum* TARNOVIVM ad stabiliendam suam sententiam instituisse contextus analysin deprehendimus. Adduxit nempe *l. c. v. 18. 19. cap. XXXI.* pro sententia sua confirmanda: *Deum per afflictiones ecclesiæ suæ conuersionem maxime intendisse, & per has amorem suum erga illam plusquam pater-*

num

num demonstrasse. Quamuis autem Deum magnum amoris sui erga Iudaeos specimen hoc ipso edidisse non negemus, verum tamen his in locis praecise de conuersione agi, est, quod reiicimus, quia, vt in paragraphis antecedentibus demonstrauimus, de reuersione ex captiuitate babylonica, & non de conuersione spirituali ex professo sermo est. Neque etiam *in commate* 20. conuersionem, quam TARNOVIVS voluit, nobis quaerere licet. Hoc quidem verum est, quod DEVS in his verbis populum suum amoris sui & misericordiae admoneat, sed effectum eius statim commate sequenti addat, sc. reuersionem, vel vt accingant se ad relinquendas sedes babylonicas §. XVII. Quae etiam adhortatio ad totum populum facta est, qui per virginem exprimitur. Vid. supra §. XVII. & conf. *Ier. XLIX*, 4. vbi Ammonitae eodem nomine insigniuntur. Nam quos DEVS castigauit babylonica captiuitate, illos etiam reduxit, & consequenter captiuos omnes fuit adhortatus. Quod vero attinet ad effectum a TARNOVIO in commatibus 31. - - 34. quaesitum, plane iste vacillat, nam cessante caussa, scilicet hypothesi de conuersione spirituali, cessat etiam effectus. Quod si vero hanc phrasin: *nouam rem creare*, de cordis conuersione exponendam velit TARNOVIVS, supra iam vidimus, quod adducta prophetae ratio illam non admittat, ac inferius magis perspiciemus.

§. XX. Particula כי, quae primum nobis exponenda venit, sua natura nomen est, a radice כוה vri, aduri. In codice sacro tantum in *Niphal* occurrit, *Ies. XLIII*, 2. *Prouerb. VI*, 28. Vnde sunt

istæ nominum formæ, מכוה & כויה adustio, *Ex. XXI*, *25. Leuit. XIII*, *24.* 28. & *25.* ac ipsum כין adustio *Ies. III*, *24.* formæ רי irrigatio, *Iob. XXXVII*, *11.* a radice רוה irrigauit *conf.* SAL. GLASSII *philol. s. libr. III. tract. VII. can. XVIII, nota.* Formalis ergo huius particulæ significatio hæc esse videtur, quod *adstrictionem ad id, quod dictum est*, denotet. Sicut enim ignis adurit quicquid tetigerit: ita hæc particula nos adstringit ad id, quod dictum est. Significat igitur *caussaliter*, quia nos adstringit ad id, quod probandum est: *aduersatiue*, *concessiue*, *conditionaliter.* cetera Vid. IOH. ANDR. DANZII *Synops. ebr. chald. interpr.* §. *141.* ex eadem ratione. Hæc si ad locum præsentem transferimus: reddit rationem propheta, cur populus iudaicus non amplius iugo seruili se subducat, ac mox hoc, mox illud alienum imploret auxilium, QVIA *nouum crearet Iehoua*, cetera. vid. §. XV.

§. XXI. *Subjectum* dicti nostri, siue id, de quo prophetæ sermo est, est יהוה ita enim dicit propheta: כי ברא יהוה *nam creabit* DEVS *&c. &c.* Vox יהוה *essentialiter* sumenda est, scil. pro tota S. S. TRINITATE, descendens a radice הוה *fuit*, & non agnoscit formam, sed in se continet tres temporis differentias, scil. ו. participii benoni s. præsentis notam, deinde הָ præteritum indicans, & tandem י quod character futuri est. Proinde *ens independens* denotat, *quod non tantum est a se ipso, ac in præsenti semper existit, sed & in æternum existet, & ante omnia exstitit.* Quod idem est cum illo Iohannis, *cap. I, 4. 8. IV, 8. XI, 17. XVI, 5. Apocal.* ὁ ἦν, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμε-

ἐρχόμενος. *Conf.* IOH. ANDR. DANZII *præfat. parad. nominum præmissa, ac forma XVI, pag. 71. Prædicatum* ברא *creauit*, huic subiecto præmittitur, cum tamen nihil de subiecto quodam prædicari possit, nisi illud antea cognitum habeamus atque perspectum. Fit ergo illud ad maiorem emphasin indicandam, & affectum loquentis exprimendum, id quod inferius coniunctim sumus explanaturi. *Caeterum conf.* IOH. IAC. RAMBACHII *institut. hermen. s. l. II. c. III.* §. *IX.*

§. XXII. Vox ברא *creauit prædicatum* constituit, quæ *proprie*, ac *in genere* aliquid producere notat, *siue* id fiat ex præexistente materia, *siue* ex nihilo. *Posteriorem* significatum *Gen. I, 1.* deprehendimus, vbi dicitur: בראשית ברא *primum creauit*, h. e. ex nihilo produxit *qualibet deitatis persona materiam cœli & materiam terræ.* Hinc R. BECHAI *in comment. in leg. fol. 4.* scribit de hac voce ברא הוא לשון הוצאת יש מאין *Significatio vocis* ברא *est: aliquid ex nihilo producere. Prior* autem significatio occurrit *v. 21.* ויברא וגו׳ *& creauit*, i. e. ex materia ex nihilo producta produxit quælibet Deitatis persona *balænas magnas*, quem significatum etiam habet in *v. 27.* ויברא וגו׳ *& creauit* i. e. produxit ex præexistente materia quælibet diuinitatis persona *hominem, ad imaginem suam, ad imaginem cuiuslibet deitatis personæ creauit*, h. e. produxit *eum, marem & fœminam creauit*, h. e. produxit *eos*. ABEN ESRA *in commentario suo ad h. l.* vtramque significationem profert in medium. Ita enim hac de re pronunciat: ברא׳ רובי המפרשים אמרו שהבריאה להוציא יש מאין וכן אם בריאה יברא ה׳ והנה שכחו ויברא אלהים את התנינים ושלש בפסוק אחר

אחר ויברא אלהים את האדם וברא חשך שהוא
הפך האור שהוא יש וזה דקדוק המלה ברא לשני
טעמים זה האחד והשני לא ברה אתם לחם׃

Plurimi interpretum putant, quod creare idem ſit, ac aliquid ex nihilo producere. Ita enim legeretur in ſcriptura: quod ſi creationem creabit Iehoua Num. XVI, 30. ſed ecce obliuiſcuntur loci: & creauit Deus balænas, Geneſ. I, 21. ac tribus in vno verſu vicibus occurrit: & creauit Deus hominem ibid. v. 24. & creauit Deus tenebras, quas conuertit in lucem, vt hæc exiſteret. Et hæc eſt ſubtilitas huius vocis ברא *quæ duplici ſenſu accipitur. Hic eſt vnus, & alter habetur II. Sam. XII, 17. non comedit cum illis panem. Conſ. Ebr. II, 3. Rom. IV, 17.* Conſ. etiam MICHLAL IOPHI *ad h. l.* vbi ſubtiliter de differentia vocum יצירה & בריאה diſputatur, & tandem colligitur, quod Deus cœlum & terram ex nihilo creauerit, omnisque vox בריאה ſit rei innouatio & origo eius a non-exiſtentia ad exiſtentiam, inde omnis res noua vocaretur בריאה *creatio.* Si vero ad *ſpecialem* huius verbi ſignificationem attendimus, nihil aliud notat, quam: *res magnas efficere, effectus inſolitos producere,* id quod ſequentia euincent loca, vt nullum de illo ſignificatu ſupereſſe poſſit dubium. Ex. gr. *Exod. XXXIV, 10.* vbi Deus inſtituto colloquio, Moſi tam magna tamque mirabilia ſe facturum promiſit, quibus producendis nemo mortalium par eſſet. Ita nempe Deus dicit: אעשה נפלאת אשר לא נבראו *faciam mirabilia, quæ nondum ſunt producta. Num. XVI, 30.* ואם בריאה יברא יהוה וגו׳ *Si Deus creationem creabit &c.* ſcilicet

eſſe-

effectum plane singularem, qui antea non fuit auditus, producet. Et *Ies. IV, 5.* וברא יהוה וגו *Et creabit Iehoua &c.* Quæ verba iterum de effectu vires humanas transcendente agunt. Id quod etiam e *cap. LXV, 17. 18.* patescit: כי הנני בורא *Nam ecce creabo s. producam nouum cœlum & terram. Cap. XLI, 20.* וקדוש ישראל בראה *Et sanctus Israel produxerit illud Cap. XLVIII, 7.* עתה נבראו *nunc creata, producta sunt.* Propheta *Amos* ad id etiam probandum in testimonium a nobis vocari potest, scil. *cap. IV, 13:* כי יוצר הרים וברא וגו׳ *nam ecce formans montes, & creans ventos,* sc. oriri faciens, & ad hoc vel illud efficiendum dirigens. Qui significatus etiam ex his tribus *Psalmis* Dauidis colligi potest. *Ps. LI, 12.* לב טהור ברא לי וגו׳ *Cor purum crees mihi. Ps. CII, 19.* ועם נברא וגו׳ *& populus creandus &c. Ps. CXLVIII, 5.* כי הוא צוה נבראו *nam iste mandat, creata sunt.* Ne cui vero hac de re dubitandi ansa præberetur, præteritum loco futuri, a SPIRITV S. fuit adhibitum, quod tam certo id fiat, ac si in effectum iam iam deductum esset. Conf. *Synops. Interpr.* DANZII §. *162. 2.* vt & SAL. GLASSII *philolog. s. libr. I. tract. IV. sect. I. can. 4. & libr. III. tract. III. can. XLVI. num. 3.*

§. XXIII. Ad *prædicatum* porro pertinet vox חדשה *nouum,* a radice חדש *innouauit, restaurauit, renouauit,* hinc vi originis: *innouatum, restauratum, renouatum,* denotat, genere fœminino pro latinorum neutro adhibito conf. SAL. GLASSII *philol. s. lib. III. tract. I. can. XIX.* & DANZII *interpr. ebr. chald. synops.* §. *II.* Hocce nouum *non semper cum totali prioris destructione, sed aliquali saltem,* coniunctum est. *Conf.*

Ebr.

Ebr. VIII, *13.* ἐν τῷ λέγειν καινὴν πεπαλαίωκε τὴν πρώτην, *dum dicit nouum, antiquauit prius.* Noui in textu nostro *oppositum* est *vetus, antiquum*, quod fuit misera Iudæorum, hostium potestati traditorum, conditio, Palæstinæ vastatio ac summa in babylonica captiuitate calamitas conf. *Threni* Ieremiæ. Hinc sistuntur vt flentes, ex captiuitate reduces, *Ier. XXXI, 9.* dispersi, *v. 10.* mœrentes, *v. 12. 13. 15. 16. 25.* castigati, *v. 18.* ignominia affecti, *v. 19.* omni commiseratione digni, *v. 20.* in summo luctu constituti, *v. 21.* auersi, *v. 22.* captiui, *v. 23.* euulsi, diruti, & deperditi, *v. 28.* Vi *oppositionis* ergo *nouum* erat melior Palæstinæ huiusque incolarum reducendorum conditio, scil. quiete collocarentur, *v. 2.* restaurarentur, *v. 4.-38.-40.* reducti ex captiuitate babylonica, *v. 8. 9. 10. 11.* variis temporalibus bonis donarentur, *v. 12. 14. 24. 27. 28.* solatio erigerentur, *v. 16. 17. 20.* Hæc *noui* & *veteris* oppositio etiam in aliis sacrorum bibliorum locis occurrit, vt videre est *Ies. XLIII, 18. 19.* אל תזכרו ראשנות *Ne sitis memores priorum,* & mox *v. 19.* הנני עשה חדשה *ecce faciam nouum &c.* Hic duas notiones iuxta se positas deprehendimus, vt comparatio & relatio, quam inter se habent, eo facilius possit institui.

§. XXIV. Hoc *nouum creaturus* dicitur IEHOVA, בארץ *in terra*, quæ vox radicem agnoscit arabicam ארץ *depressit.* Vnde nomen ארץ denotat: *depressum*, respectu cœli nostri, quod iis respectu terræ denominatur ab altitudine. Interim non semper notat nostrum globum terraqueum, sed quandoque certam in eo regionem, quæ vt pars totius æque cœ-

lo

lo nostro opponitur. Vnde h. l. LVTHERVS: im Lande, h. e. in Palæstina, ex qua erant Iudæi in captiuitatem babylonicam abducti, § XXIII. Loca, in quibus hæc vox hoc sensu accipitur, ubiuis fere in codice sacro sunt obuia. Ex multis hæc adduxisse sufficiat: *Hos. IV, 1. Genes. XIII, 6. 7. 10. 9. 12. 15. 17.* quibus in locis LVTHERVS: Im Lande, das Land, alles Land. Hinc *integra propositio* nullum alium, nisi hunc admittit sensum: כי ברא יהוה חדשה בארץ *Nam Deus creabit nouum in terra. Deus omnia, quæ iamiam sunt demortua, & obsoleta, certo renouabit, restaurabit, vos cum Iudæos ex captiuitate babylonica reduxerit, templum deuastatum restaurare curauerit, totumque cultum leuiticum vsque ad tempus correctionis Ebr. IX, 10. renouauerit, & verbo: Vos exantlatis multis calamitatibus patrios lares visitaueritis, & pristinis priuilegiis gauisi fueritis, maxime cum Deus, vester Deus erit, & vos eritis Dei populus.*

§. XXV. *Altera propositio* sic se habet: נקבה תסובב גבר: *fœmina circumdabit virum.* Hinc operæ pretium erit, vt quilibet nostram sententiam, infra ponendam, eo melius intelligat, in singulas huius propositionis voces itidem inquirere. *Prima* vero *vox*, quæ nostris subiicitur oculis, est נקבה cuius significatum integro sexui fœminino *tam animalium, quam hominum* tribui, ex vsu biblico discimus. De *animalibus Leuit. III, 1. 6. IV, 28. 32. V, 6. Gen. VI, 19. VII, 3. 9. 16.* de *hominibus Leuit. XII, 5. 7. XV, 33. XXVII, 4. &c.* legitur. Descendit vero hæc vox a radice נקב *perforauit.* Hinc denotat *perforatum*, seu illud, quod in suo genere ad parturiendum capax est. Vnde

de

de patet, quod non denotet aliquod huius ſexus indiuiduum, minime etiam de MARIA virgine, matre noſtri SERVATORIS optimi, quam TARNOVIUS ſententiam impugnat, intelligi poſſit. Cuius verba, vt breuitati ſtudeamus, breuibus addamus, ita illo *in exercitat. bibl. ad h. l. paragrapho IV. & V.* ſcribente: §. *IV. Vox* נקבה *ſexus totius, non vnius indiuidui, non ætatis, non ſtatus, non conditionis nomen eſt, ſed omne, quod mari in eadem ſpecie, vt principium generationis alterum, in quo gignitur aliquid, opponitur, denotat, quomodo ei in ſcriptura innumeris fere in locis ex aduerſo reſpondet* זכר *i. e. mas, qui gignit in alio &c.* Et in paragrapho V. *reprobari vero inde poteſt maxime, præſertim cum de vno indiuiduo, mari non adiuncto, nunquam vſurpetur in bibliis, niſi tum, quando Eua ſexum fœmininum ſola in ſpecie humana repræſentabat, vt Adam virilem. Quod ſi oppones, dicam: Diſtingue tempora, & concordabit ſcriptura &c.* Præter hoc interpretandi genus luſum ingenii Rabbinici caballiſticum, (cuius vero obiter mentionem facimus,) cum his vocibus *in* BAAL HATTURIM *ad Gen. I, 27.* deprehendimus: זכר בגימטריא ברכה ונקבה בגימטרי׳ קללה Qua de re videatur SAL. GLASSII *Philolog. S. libr. II. part. I. tract. II. ſect. III. artic. VII.* mas זכר per Gemathriam eſt ברכה *benedictio*, fœmina נקבה per Gemathriam eſt קללה *maledictio*.

§. XXVI. Diſſentientes loca opponunt ſequentia, ſcilicet *Geneſ. I, 27.* & *Leuit. XII, 5.* & defenſum eunt, ac ſi ibi ſumeretur נקבה de indiuiduo, & quidem hanc ob rationem, quia, quod ad locum poſteriorem, non pareret ſpecies, ſed quoddam in-

diui-

diuiduum. Ad quam oppositionem ita respondemus: quod quidem concedendum sit, indiuiduum parere, non speciem. Sed hoc obseruandum, quod illa lex data, non habeat respectum ad hoc vel illud indiuiduum, quod parit, tantum; sed ad omnes, quæ actu peperissent mulieres, a qua lege nec ipsa Messiæ mater excepta fuit. *Luc. II, 22. 24.* Hinc vocem נקבה non ad hanc vel illam solum, sed ad integrum genus puerperarum esse referendum, facile est coniecturatu. Quod etiam ex voce זכר huic opposita, perspici potest, qua totus sexus masculinus exprimitur. Si vero dicis: *Genes.* I, 27. agi de Eua indiuiduo. Respondemus, quod sola illis temporibus Eua in hoc vniuerso exstiterit, in qua sexus sequior totus latuit, & hanc ob causam de nulla alia, nisi Eua, sermo institui potuit, per quam tamen genus fœmininum fuit repræsentatum.

§. XXVII. Hoc subiectum *prædicato* gaudet תסובב *circumdabit*, a radice סבב quæ *proprie* ac *in genere: processionem non in rectum, sed in aliam partem* denotat. In coniugatione *Piel* eundem habet significatum, sed *intensionem* ac *frequentationem* connotat. §. *59. Interpr.* DANZII. Inde est, quod & *circuire* & *circumdare* notet, *posterius* non *primario*, sed *secundario*. Hæc *processio non in rectum, sed in aliam partem*, vi *obiectorum*, de quibus in codice sacro legitur, vel *interna* est, vel *externa*, vtraque vel *physica*, vel *moralis*, vel *actiua*, vel *passiua*. I. *Externa physica actiua* fit (1) circa locum *Ez. XLII, 19. coll. 15. I. Sam. VII, 16. Coh. IX, 14. Gen. II, 13. Ios. VI, 15. 3. II. Reg. VI, 15.* cetera. (2) Circa obiectum vel subiectum quod-

dam, v. g. circa *aram Psalm. XXVI, 6. hominem Ps. XVIII, 6. XXII, 13. 17. manipulum Gen. XXXVII, 7.* circa DEVM *Psalm. VII, 8.* (3) *ab vno ad alterum* (α) *de loco in locum I. Sam. XVII, 30. II. Sam. XIV, 24. 25. Gen. XLII, 24.* (β) *ab vna via ad alteram, Ex. XIII, 18. II. Sam. XX, 12. Ez. XLVII, 2.* (γ) *ab vna persona ad alteram, II. Sam. V, 22. I. Chr. XIV, 14. de processione calcis Hab. II, 16.* Huc referas forsan loca, in quibus (1) *de oculorum auersione Cant. VI, 4.* (2) *de domibus Ier. VI, 12.* (3) *de conuersione Iordanis retrorsum Psalm. CXIV, 3. 5.* (4) *de processione solis optica Coh. I, 6.* (5) *de faciei auersione s. conuersione Iud. XVIII, 23. I. Reg. VIII, 14. XXI, 4. II. Reg. XX, 2. Ies. XXXVIII, 2. II. Chron. VI, 3. XXIX, 6. XXXV, 22.* legitur. *Externa moralis actiua* dicitur *de regno, quod transfertur ab vno ad alterum, II. Sam. III, 12. I. Reg. II, 15. I. Chron XII, 23. X, 14. de faciei diuinae auersione Ez. VII, 22. de verborum processione Psalm. CIX, 3. de operibus Hos. VII, 2. Ps. XLIX, 6. II. Chr. XVIII, 31. Ios. VII, 9. de mendacio Hos. XII, 1. de nomine Num. XXXII, 38. II. Reg. XXIII, 34. XXIV, 17. II. Chron. XXXVI, 4. de processione circa causam II. Sam. XIV, 20. Dei circa hominem, Ps. XXXII, 7. Deut. XXXII, 10. benignitatis diuinae Psalm. XXXII, 10. de processione cordis ab vno ad alterum a Deo facta Esr. VI, 22. I. Reg. XVIII, 37. de populo Ex. XIII, 18. Externa physica passiua*, quae, facta processione actiua, ordinata est, occurrit (1) *de bobus circa mare aeneum II. Chr. IV, 2. 3.* ita etiam *I. Reg. VII, 15. 23. 24. Ier. LII, 21. Ezech. XLI, 7.* (2) *de accubitu mensali I. Sam. XVI, 11.* (3) *de salicibus piscem circumdantibus Iob. XL, 17.* (4) *de filo mensurae Ier. XXXI, 39.* (5) *de abyssi & fluminis pro-*

cessio-

cessione circa hominem Ion. II, 4. 6. (6) *de processione terminorum s. finium Num. XXXIV, 4. 5.* (7) *Arca* circa ciuitatem *Ios. VI, 11. &c. II. Interna physica actiua,* fit in loco *Cohel. XII, 5. Cant. III, 2. 3. c. V, 7. I. Sam. XXII, 18. II. Sam. XVIII, 30. II. Reg. IX, 18. 19. Ies. XXIII, 16.* cetera. *Huc pertinet Prouerb. XXVI, 14.* & *processio moralis in animo Koh. II, 20. VII, 25.* De hac voce scribit TARNOVIVS *l. c, §. 12. secunda vox* הסובב *est* εκ των μεσων, *quæ pro ratione subiectæ materiæ modo in bonam, modo in malam partem possunt accipi &c.* Et pro sententia sua adfirmanda nonnulla produxit loca, scil. *Eccles. IX, 14.* ובא אליה מלך גדול וסבב אתה וגו׳ *Et adueniebat contra illam rex magnus, & circumdedit illam.* Sed non videmus, cur hic a propria & generali vocis significatione sit recedendum, cum hanc ad verum sensum quam optime quadrare vnusquisque cognoscat. Nam in antecedente propositione ait: *ciuitas parua fuit, & viri in ea pauci: sed aduenit contra illam rex magnus,* וסבב אתה & *processit circa illam, i. e. obsedit illam &c.* Huic loco subiungit *Ps. CXVIII, 10. 11. 12.* כל גוים סבבוני *omnes gentes circumdederunt me, vel circa me processerunt.* Et *Gen. XIX, 4.* vbi vero eandem, quæ in adductis locis, obtinere significationem nemo negare poterit. Addidit vero TARNOVIVS §. 13. quod hæc vox *de amica quadam ex omni parte circuitione & illam sequente amplexatione rei ambitæ seu expetitæ* occurrat. *Quemadmodum*, pergit, *ambire apud latinos etiam vtrumque notat, sectari & prensare. Ps. VII, 8. XXVI, 6. XXXII, 7. 10.* & *XLVIII, 13. in quibus duobus posterioribus locis nota, quod* LVTHERVS *verterit* umbfa-

hen.

hen. Aſt quum ipſe §. *14.* fateatur, quod nemini ex toto codice ſacro locum, quoad phraſin noſtro ſimilem, producendi poteſtas ſit: ſuimet ipſius verba agant iudicem. Circuitionem, ſeu potius proceſſionem non in rectum lubenter admittimus, ſed cur ſit amica? cur illam ſequuta ſit amplexatio? Profani Latinorum auctores tantæ autoritatis non ſunt, vt determinatio vocum, in ſacris literis comprehenſarum, ex illis peti debeat. Cæterum loca, vt nos arbitramur, vim probandæ theſeos non habent. Nam Dauidem talem *amicam circuitionem, & illam ſequentem amplexationem Pſ. VII, 8.* ערת לאמים תסובבך *congregatio populorum*, inquientem, *circumdabit te*, his verbis non intendiſſe, ex contextu certum eſt. Multo minus *Pſalm. XXVI, 6.* אסובבה את מזבחך *procedam circa* altare tuum, & *Pſ. XXXII, 7. Tu, Iehouah* תסובבני *circumdas me*, & *v. 10. ſperantem in Iehouam miſericordia circumdabit. Pſ. XLVIII, 13.* סבו ציון *procedite circa Zion, ſ. circumdate*, quod exponit in ſequentibus verbis: *& circuite eam, numerate turres eius.* In quo poſteriori loco LVTHERVS rectiſſime vocem סבו vertit: machet euch um Zion, ſed vocem הקיפוה reddidit; und umfahet ſie, non *amplexatione* TARNOVII *amica*, ſed *proceſſione* circum eam.

§. XXVIII. Quam proceſſionis actionem in vocem גבר eſſe tranſeuntem, textus noſter indicat. Quæ vox vi ſuæ originis, *præualens alteri* denotat, a radice גבר *præualuit, Ex. XVII, 11. Thr. I, 16. I. Chr. V, 2.* Hinc eſt גבר *mas, vir*, ratio denominationis in promptu eſt, quia mas ordinarie

præ-

prævalet foeminæ. Quæ vox cum respectum ad vocem נקבה *foeminam*, habeat, par est, vt per eam *totum sexum*, vi oppositionis, *masculinum* intelligamus. Ad id probandum vel vnicus *Iobi* locus sufficit *cap. III, 2.* יאבד יום אולד בו והלילה *Pereat dies*, inquientis, *quo genitus sum, ac illa nox* אמר הרה גבר *qua dicebatur: conceptus est vir, h. e. sexus masculini proles.* Nam vir, qua vir, non concipitur, sed temporis successu eas adipiscitur, quæ in virum cadunt, qualitates. Eundem etiam significatum locus *Deut. XXII, 5.* adstruit לא ילבש גבר שמלת אשה *ne induat mas siue vir vestimentum muliebre.* Ita etiam *Proverb. XXX, 19.* ודרך גבר וגו׳ *viam viri* hic significatus deprehendi videtur. Ex quibus adductis facile collectu est, quod huius vocis significatus in MESSIAM, vi oppositionis, non quadret, qui etiam NVNQVAM IN SACRA SCRIPTVRA גבר DICITVR. In reliquis quoque locis *nunquam occurrit de animalibus*, neque etiam *de potentibus populis.* Hinc huius respectu נקבה est intelligenda de sexu scilicet foeminino inter homines. Et hæc est ratio, cur in textu nostro vox גבר & non זכר adhibeatur, quia per illam ad genus humanum restringitur, per hanc non item restringeretur. TARNOVIVS quidem nonnulla loco citato adduxit loca, quibus sententiam suam alii suffulcire student; in quibus vero non גבר sed גבור legitur. Proinde *totius propositionis* sensus hic erit: נקבה תסבב גבר *Sexus sequior frequenter procedet cum sexu masculino, mox in hunc, mox in alium locum.* Maximo monstrabit gaudio quæ DEVS tam

mira-

mirabiliter in Palæſtina produxerit. Nam verbum סבב imprægnatum h. l. eſt. Vid. IOH. ANDR. DANZII *ſynopſ. ebr. interpr.* §. *LXXIII.* & SAL. GLASSII *Philol. Sacra libr. III. tr. III. can. XIV.* Qua cum propoſitione conſequentia concinne cohærent, eamque *verſus 23. 24. 27. 28. capitis Ierem. XXXI.* ſatis ſuperque illuſtrant.

§. XXIX. Quod ſi rem ipſam æqua iudicii lance perpendimus, *affectum loquentis* facile perſpicimus. Inerat nimirum prophetæ, hæc cum verba proferret, ſumma amoris erga populum iudaicum declaratio, mixta ſubinde cum zelo & commiſeratione. Quis enim vnquam ciues ſuos, in captiuitate miſere afflictos, nec tamen DEO obtemperantes, quamuis maximæ illis factæ ſint promisſiones, absque vlla commiſeratione eſt intuitus? Accedit, quod propheta, in ſuo conſtitutus officio, nihil omiſerit, quod ad malum ab hoc populo auertendum, & bonum promouendum conduxerit, quod zelum neceſſario eius in animo produxerit, quem *v. 21.* prodit: *reuertere, filia Iſraël, reuertere.* Præterea ipſe verborum *v. 22.* poſitus & ordo, a SPIRITV SANCTO non ſine cauſa obſeruatus, animi prophetæ index eſt. Subiectum, natura prius, ordine h. l. poſterius, hunc verborum ordinem requireret: כי יהוה ברא חדשה בארץ: Nolite de diuina promisſione vllum fouere dubium. Nam certo producturus eſt ac ſi iam produxiſſet. Aſt obiiceretis: quid producatur vel produci poterit, vbi nihil eſt? Reſpondeo: Iehoua, qui totum hocce vniuerſum ex nihilo produxit, eundem effectum mirabilem adhuc producere nouerit.

uerit. Quis fines vnquam eius omnipotentiæ posuit? nonne sæpius inter vos se demonstrauit mirabilem? cur non denuo se mirabilem demonstrare possit? Sed dicitis: Nulli dubitamus de eius potentia, sed tantum de voluntate eius. Ast ego rursus: Ne dubitetis; certo nouam rerum faciem producturus est in hac terra (quam commonstrat digito) & hoc vobis signi loco sit, quod finita captiuitate vestra, sexus inter vos femininus frequenter & lætabundus cum sexu masculino processurus, eique mox huc mox illuc hanc nouam regionis vestræ formam digito sit commonstraturus.

§. XXX. Quæ cum ita sint, vnusquisque, rei exegeticæ ac philologicæ gnarus, de *diuersis* interpretum hoc de loco *sententiis* iudicium facili ferre poterit negotio, siue illi ex *christianis*, siue ex *iudæis* fuerint. Breuitatis gratia *duas* eorum *classes* constituimus. *Alii* verba huius loci *proprie* vel propria vocum significatione retenta; alii *improprie*, vel sensu figurato exponunt, quamuis plures in partes abeant. *Alii* hoc dictum de CHRISTO tanquam viro, a MARIA, tanquam fœmina, circumdato, siue concepto & genito, interpretantur. *Alii* nouum atque vetus testamentum, *alii* vero, qui cum his quodammodo coincidunt, legem & euangelium per fœminam & virum intelligunt. Vid. LVTHERI *notam ad h. l. marginalem*. *Alii* seriam iudæorum pœnitentiam; rursus IOH. CALVINVS per fœminam Israëlitas debiles, per virum hostes eorum robustos & bellicosos, hic innui contendunt. Ast nulla harum interpretationum est, quæ non sua habeat incommoda, vt statim monstraturi sumus.

§. XXXI. IOANNES COCCEIVS *in comment. in Ierem. ad h. l. §. 37.* interpretationem de CHRISTO, vt viro, & de MARIA, vt fœmina, tuetur, quam vero refellit TARNOVIVS *in exercitat. bibl. l. c.* NAM, inquit COCCEIVS, *hoc αἰτιολογικὸν significat, causam nullam superesse, quare iudæi se abducant & ὑποςέλλωνται: quippe cum res quædam inusitata facta sit in terra, quæ a seculo non audita est, quam patres expectauerunt: qua facta, certum est, salutare Dei venisse, & Iehouam factum esse populo suo in Deum. Nihil heic est cogi-*

tan-

tandum; quod non sit plane nouum, & quod non manifeste ostendat, regnum Dei aduenisse; quodque non exacte respondeat proprietati vocabulorum. Paucis deinceps interiectis, pergit: *quemadmodum supra v. 11. facit mentionem redemtionis, vt factæ, & v. 15. fugæ Christi in Aegyptum: ita heic commemorat puerperium virginis: fœmina circumdat masculum, s. circumdabat. Atqui id notat sexum, quemadmodum vocabulum* גבר *alterum sexum notat. Quare notatur viro non cognita, sed tantum* θήλεια (*femina heic significat virginem*) CIRCVMDABAT, *non per amplexum, sed conceptionem. Quare, cum verbis prophetæ & scopo sermonis hæc sint consentanea &c. non licet nobis dubitare, quin hoc & non aliud propheta significauerit. Virgo in sinu fert dominum omnium. Quid igitur superest? quare dubitet iudæus? nouum factum esse in terra h. e. virginem complexam esse marem filium?* Equidem non negamus, quod כי ἀιτιολογικὸν hic significet. (§. XX.) Sed dispiciendum erit & neutiquam ex adoptata semel hypothesi, si vel maxime vera sit per se, conf. IO. IAC. RAMBACHII *institut. hermeneut. s. libr. I. cap. I. §. XVI.* supponendum, ad cuiusnam rei rationem nos hæc adstringat particula. Non sane ad hanc vnicam propositionem: *quousque subduces te?* Sed coniunctim ad plures ad hanc se referentes *v. 21. appone cor tuum ad viam tritam, ad viam, qua incessisti, reuertere, filia Israël, reuertere ad ciuitates tuas hasce, cet.* *Nouum* notat quidem rem inusitatam, sed hoc nouum se refert ad *vetus* aliquod, ac vi huius *oppositionis* neutiquam de mysterio incarnationis filii Dei intelligi poterit. (conf. §. XXIII.) Non obstante, quod proprietatem vocabulorum COCCEIVS vrgeat: IO. TARNOVIVS *in exercit. bibl. l. c.* satis superque ostendit, quod de MARIA, tanquam indiuiduo, vox נקבה accipi nequeat, non videmus ergo, qua ratione hæc vox fœminam i. e. ex sententia COCCEI, θήλειαν *s. virginem* notare possit, quamuis rem ipsam non negemus, quod immaculata virgo MARIA SALVATOREM nostrum pepererit. Denique verbum סבב quod per circumdabat transtulit, nunquam de amplexu neque etiam de conceptione legitur, sed de his l. c. TARNOVIVS, *conf. supr. §. XXVII.* vt de scopo Prophetæ nihil dicamus,

quem

quem ex antecedentibus, si lubet, repetas, nec de voce גבר quæ nunquam in codice sacro de CHRISTO legitur.

§. XXXII. IOANNIS CALVINI huius loci interpretatio magnam veritatis præ se fert speciem; quam *in prælectionibus in Ieremiam ad h. l.* verbis proponit sequentibus. *Hic est*, inquiens, *comparatio inter fœminam & virum, quam illi* (scilicet Iudæi, de quibus loquitur,) *non expendunt. Neque enim simpliciter propheta hic de viro loquitur, sed nominat virum robustum.* גבר *enim sumitur a fortitudine. Cum igitur fœminam viro comparet, non dubito quin significet propheta Israëlitas, qui similes erant fœminis, hoc est, carebant viribus, destituti erant omni auxilio: quin ergo dicat, fore superiores hostibus suis, quorum potentia poterat toti mundo terrorem incutere. Scimus enim qualis fuerit monarchia Babylonis, quo tempore iudæi tracti sunt in exilium. Ergo si consideremus, quales fuerint Israëlitæ, dicemus fuisse fœminas debiles, cum hostes eorum essent robusti & bellicosi. Fœmina igitur circumdabit virum. Nam* סבב *significat non amplecti, sed obsidere sæpe numero: & accipitur compluribus scripturæ locis in malam partem. Hostes circumdederunt me. Cum igitur notatur obsidio, scriptura hoc verbum vsurpat. Perinde igitur est ac si dixisset propheta: Redigent fœminæ viros in angustias, ita vt ipsos captiuos teneant. Sed vtitur singulari numero: quasi diceret: Fœmina vna præstabit multis viris, hoc est, singuli iudæi præstabunt singulis chaldæis, ita iudæi superiores erunt, quamuis magnum & terribile sit robur hostium.* Verum enim vero, multa sunt, quæ hanc premunt sententiam, incommoda. Nam difficile est sibi aliqualem vel *verbalem* vel *realem* h. l. comparationem concipere. *Verbalis* sane non adest, siquidem nulla heic legitur comparandi particula, & *realis* adoptata semel a CALVINO hypothesi nititur. Nomen גבר non semper virum robustum, vt nec verbum גבר semper robustum esse, significat. Proinde ex contextu determinandum est, qui nam significatus hoc loco obtineat *vid. supra* §. *XXVIII.* Vox נקבה nuspiam in scriptura S. de populo omnibus destituto viribus & omni carente auxilio accipitur *vid.* §. *XXV.* Interim non negamus, quod hæc loquutio quandoque, in *profanis* præsertim scriptoribus,

 aquo-

a quorum autem suffragio vocum codicis sacri determinatio minime dependet, obuia sit, cuius rei exempla producunt IOH. ANDR DANZIVS *in synopsi interpr. ebr. chald.* §. 5. *II. not. 1.* & SAL. GLASSIVS *in Philol. S. lib. III. tract. I. can. XXI. pag. 612.* Exempli gratia IVSTINVS *historiarum lib. I. cap. III.* de *Sardanapalo* hæc habet : *Postremus apud eos regnauit Sardanapalus, vir* MVLIERE *corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permissum fuerat,) praefectus ipsius, Medis praepositus, nomine Arbactus, cum admitti magna ambitione aegre obtinuisset, inuenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cum mollitia corporis, & oculorum lasciuia omnes foeminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis, indignatus tali* FEMINAE *tantum* VIRORVM *subiectum, tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere, progressus ad socios, quid viderit, refert. Negat se ei parere posse, qui se* FEMINAM *malit esse quam* VIRVM. *Fit igitur coniuratio : bellum Sardanapalo infertur; quo ille audito, non vt* VIR *regnum defensurus, sed vt metu mortis* MVLIERES *solent, primo latebras circumspicit ; mox deinde cum paucis & incompositis, in bellum progreditur. Victus in regiam se recipit, & exstructa incensaque pyra, & se & diuitias suas in incendium mittit : hoc solo imitatus* VIRVM. In scriptura quidem sacra vox נשים *mulieres* hoc sensu accipitur *vid. Ier. L, 37. LI, 30. Ies. III, 12.* quæ vero in textu nostro non occurrit, ac hoc ipso hæc interpretatio suspecta sit. Verbum סבב significare sæpius in scriptura *obsidere* & etiam in malam partem accipi, concedimus, non tamen primario, sed secundario, vid. §. XXVII. Ast cum generalis & formalis verbi huius significatio non restringatur a SPIRITV SANCTO, nec hæc ipsa a nobis deserenda & alia ei restrictior substituenda est, *conf.* IO. IAC. RAMBACHII *instit. hermen. s. libr. II. cap. VII.* §. *XVI.* Ad hæc, quod maximum est, euentus prædictioni, iuxta CALVINI sensum, non responderet. Nouimus enim, tam ex codice sacro, quam ex profanis scriptoribus, quod gens iudaica non obsederit & captiuos duxerit Babylonios, vt CALVINVS existimat, sed quod illa sua sponte ad templum restaurandum, Deo totum ita dirigente negotium dimissa

sit, qua de re inferius. §. XXXV. Nec diffitetur ipse CALVINVS, quod Medi & Persæ Babylonios subegerint, *in prælect. in Ier. ad hæc loca Ier. L. cap. LI, 27. & 28.* conf. etiam, quæ *Ies. XLVIII. Dan. V, 30. 31. VI, 1. 2. IX, 1. 2. XII, 1. 2.* prædicta sunt. Ita vero CALVINVS *ad Ier. L, 2. Quoniam Babylon erat caput Orientis, nemo putasset, fieri vnquam posse, vt veniret sub alienam potestatem. De Persis nemo vnquam id fuisset imaginatus, erant enim remoti: Quantum ad Medos spectat qui propiores erant, scimus fuisse demersos in suis lautitiis & tantum fuisse semiuiros. Cum ergo tanta esset in Medis & fere muliebris mollities, & Persæ etiam procul abessent & inclusi suis montibus, Babylon tranquille potiebatur imperio totius orientis.*

§. XXXIII. Sequitur iam illorum expositio, qui verba prophetæ de *seria iudæorum pœnitentia* accipiunt. Ita ex *Christianis* OECOLAMPADIVS *in comment. ad h. l.* scribit: *Vsque quo, id est, quamdiu tardas pœnitentiam adire & hinc inde incerta vagaris, rebellas contra me procax, & viros sequens alienos. Vade via recta ad virum proprium, qui te vehementer amat. Est enim futurum, vt Deus creet rem nouam, postquam diu fueris in captiuitate, quod fœmina procabitur, & ambiet virum, quum viri vulgo sequantur vxores, sed tunc mulier persequetur virum, hoc est, congregatio Israël conuertetur ad Deum suum, qui redimet eos, vt est hoc Oseæ decimo tertio.* Hæc OECOLAMPADII cum iudæorum interpretationibus plane coincidit. Hunc in modum ABEN ESRA *ad h. l.* scribit:
הבת השבבה׳ שהיתה שובבת ומורדת בי כלומר עד מתי תסבבי הנה והנה ולא תלכי דרך ישרה לשוב אל אישך הראשון כלומר עד מתי תתעצלי בתשובה: כי ברא יי׳ חדשה בארץ׳ עתיד לברוא חדשה אחה שתשבי בגלות ימים רבים ומה היא החדשה כי נקבה תסבב גבר כלומר שישובו בני ישר׳ אל יי׳ אלהיהם ויגאלם וכן אמר בנביאת הושע ואחר ישובו בני ישראל ובקשו את יי׳ אלהיהם ואת דוד מלכם ופחדו אל יי׳ ואל טובו באחרית הימים: *Filia auersa id est: quæ fuit auersa & rebellans contra me, quasi diceret: vsque quo circumibis huc & illuc, & non incedes via recta ad reuer-*

reuertendum, vel vt reuertaris, ad virum tuum priorem, quasi diceret: quamdiu tardas pœnitentiam. Nam creabit Iehoua nouum in terra i. e. creaturus est nouum, postquam dies multos in captivitate commoratus fueris. Et quodnam est illud nouum, quod femina circumdabit virum cetera. Id est: reuertentur Israëlitæ ad Iehouam Deum suum, qui redimet eos, sicque dicitur in vaticinio Hoseæ: & postea reuertantur Israëlitæ & requirant dominum Deum suum & Dauidem regem suum, & timebunt Deum, & bonitatem eius in extremitate dierum, Hos. III, 5. Ast huic expositioni obstat *primo:* quod contextus ex professo de Iudæorum ad Deum conuersione non agat §. XVII. Deinceps quod populus Israëliticus nunquam נקבה §. XXV. nec Deus גבר in scriptura cognominetur. §. XXVIII. Denique in hac expositione ex parte voces *proprie,* ex parte *improprie* accipiuntur, quod sensum reddit minimum suspectum, si nulla a sensu vocum proprio recedendi adsit necessitas.

§. XXXIV. Tandem illorum producimus sententiam, cuius mentionem LVTHERVS in nota marginali ad h. l. fecerat his verbis: Der gantze Text hie vom N. Testament redet, und heisset sie trauren, und den alten Mose begraben, und sich auf des HErrn Weg richten. Hanc adoptauit TARNOVIVS *l. c.* ac ita defendit, *vt partim* ad *contextum,* qui de ecclesia per afflictiones castigata, ageret, quem vero supra iam examinauimus §. XIX. *partim* ad *phrasin:* nouam rem creare, quam de cordis conuersione accipit: *ibidem, partim* ad genuinam vocum גבר & נקבה significationem §. XXV. vt & verbi סבב quod *de amica circuitione & sequente eam amplexatione* explicat, §. XXVII. prouocet. Sed a propria vocum significatione ad figuratam vel impropriam non est deueniendum, donec summa nos cogat necessitas, quam, quantum perspicimus, non monstrauit TARNOVIVS. Totum Ieremiæ contextum de nouo agere testamento nullus dixerit. Nam quorsum ista? *v. 4. 5. 8. 12. 13. 14. 21. 24. 27.* Hinc nec tuto aliquid ex illo colligitur, sed videndum, ad quodnam obiectum reale omnia, quæ dicuntur, primario se referant. Interim non negamus, quod verbum ברא de conuersione adhibeatur, quæ est noua quasi creatio conf. *Ps. LI, 12.* sed

tota potius phrasiologia, vi contextus, consideranda ac determinanda est. Non enim sufficit, hunc vel illum vocis cuiusdam significatum adhiberi *posse*, sed requiritur, vt ostendatur eum præcise nec alium in loco præsenti locum habere. Et hoc vel imprimis de vocibus נקבה & גבר dicendum est. Nam si vel maxime concederetur, per fœminam & virum V. & N. T. *posse* intelligi, prout legeretur *Rom. VII, 2. seqq.* & *Galat. IV, 22. 24. 27.* nondum tamen sequitur hanc præcise ac non aliam h. l. significationem adhiberi *debere*. Plura his addere, recensere, ac examinare, quia molem dissertationis academicæ excederent, supersedemus: nostrum confirmasse sensum nobis sufficit, ex quo facile quilibet huius rei peritus lector alios diiudicare poterit.

§. XXXV. Nunc potius ad ipsum huius prædictionis *complementum* quoad singulas textus circumstantias determinandum pergimus. Illud temporis spatium, de quo IEREMIAS h. l. vaticinatus est, nimirum populi iudaici ex captiuitate babylonica reductione, supra iam §. XVI. indicauimus. Superest ergo, vt paucis declaremus, quod hoc vaticinium in hac temporum periodo suum complementum plenarie consequutum sit, id quod ex his duobus membris facile ostendi poterit. Nempe 1) quod Deus mirabiliter iudæis ex captiuitate babylonica reducibus in Palæstina nouam rerum formam produxerit. *Iehoua certo producet nouum in hac regione.* 2.) quod sexus inter homines fœmininus cum masculino mox in hanc, mox in illam suæ regionis partem, maximo perfusus gaudio, processerit, *Fœmina circumducet virum.* Quod ad *prius* membrum, iure meritoque huc referimus 1.) quod Deus per omnipotentiam suam potentissimos tunc temporis *Iudæorum* hostes babylonios tam grauiter afflixerit, nemine id præsumente animo, *vid. supra* §. *XXXII.* & conf. *Ier. XXV, 12. 13. 14. cap. L. & LI. Ies. XLVII, 1. seqq. cap. XLVIII, 20.* Sane nisi Deus ipse Babylonius suam ademisset potentiam, nunquam iudæi ab illis in Palæstinam remissi essent, nec per consequentiam, noua rerum forma in Palæstina, vt prædixerant prophetæ, producenda fuisset. 2.) quod reliquos iudæorum hostes itidem puniuerit *conf. Ier. XLVI. XLVII,*

XLVII. XLVIII. & XLIX.
LXX. annorum spatio Ie
stigauerit, vt iudæos ad
mitterent, & in specie q
22. 23. Ief. XLV, 1. 2. 3. E
11, 12. ARTHASASTEM Esr.
diuinum opus gentiles
quod ducum & ipsius g
rit, vt strenue in templo re
hortantibus, pergerent.
cultates diuino freti au
quod aurum & argentum
c. VI, 8. 9 10. VII, 15 - 20.
lorum in captiuitate con
uitatem deuastatam rest
denuo institui Esr. III, 3.
17. 20. 23. 24. VIII, 21. 23. 25
34. seqq. XII, 1. sqq. v. 40.
stibus ablatum illis restit
Neh. VII, 66. - 69. Famem,
Thren. I, 11. II, 11. 12. 19. 20
illis frumentum, mustu
cem illis redintegrauit a
fuit assignatus Neh XI.
concessit Neh. XI, 1. 2 - 13
huius gentis anteceden
Hist. libr. V. cap. II. expri
Medosque & Persas Oriens
Quod ad posterius membr
los multiplicauerit, Zac
agricolas & qui proficisc
ter illos stabiliuerit, ita
sexus inter homines fœm
Palæstinæ regiones lætus
rum in lætitiam conuer
Ier. XXXI, 4. 5. 13.
ex
S

. & *XLIX. Thren. IV, 21. 22.* 3.) quod elapso
spatio *Ierem. XXIX, 10.* Persarum reges in-
iudæos ad restaurandam hierosolymam di-
specie quidem CYRVM *II. Chron. XXXVI,*
1. 2. 3. Esr. I, 1. 2 3. 4. DARIVM, *Esr. VI, 7.*
STEM *Esr. VII, 12. 13. 14. 21. Neh. II, 6.* quod
gentiles ipsi agnoscebant. *Neh. VI, 16.* 4.)
x ipsius gentis iudaicæ spiritum excitaue-
templo restaurando, prophetis illos subinde
ergerent. *Hag. I, 14. Esr. I, 5.* ac omnes diffi-
o freti auxilio vel tandem superarent. 5.)
argentum illis procurauerit, *Esr. I, 4. 6. seqq.*
II, 15 - 20. cap. VIII, 25. seqq. 6.) Pristinam il-
uitate conditionem in melius mutauerit, ci-
tatam restaurari *Esr. III, 8. 9. Neh. III.* sacra
Esr. III, 3. 4. 5. VI, 9. 10. 16. 17. 18. 19. seqq. VII,
II, 21. 23. 25. 35. Neh. VIII, & IX, 1 - 4. X, 32. 33.
sqq. v. 40. 43. sqq. cap. XIII. ornatum ab ho-
illis restitui curauerit. Vid. supra *num 5.* &
. Famem, qua in captiuitate erant oppressi,
11. 12. 19. 20. IV, 4. 5. 8. abstulit, largiendo
m, mustum & oleum &c. *Ier. XXXI, 12.* Pa-
tegrauit ac per sortem suus vnicuique locus
Neh XI. magistratus & seniores illis denuo
XI, 1. 2 - 13. Esr. VI, 14. Zach VIII, 4. Quam
antecedentem miseriam neruose TACITVS
. II. exprimit; *Dum*, scribens, *Assyrios penes*
rsas Oriens fuit, despectissima pars seruientium.
rius membrum, huc pertinet, quod Deus il-
uerit, *Zach. VIII, 5. Jer. XXX, 19. XXXI, 27.*
ii proficiscuntur cum grege *Ier. XXXI, 24.* in-
iuerit, ita vt nullum supersit dubium, quod
mines fœmininus cum masculino in diuersas
ones lætus processerit, siquidem luctus illo-
m conuersus erat *Esr. III, 11. 12. 13. VI, 16. 22.*
XI, 4. 5. 13. 14. sicque non defecit vllum
ex verbis Iehouæ.

S. D. G.